

bile erit inuenire uerum epicycli locum, qui, quemadmodum infra uidebitur, ad eccentricitatem & locum augis eccentrici cōperiendus utilis ueniet.

*Loco augis Martis reperiendo oportuna media præmittere. Propositione XIII.*

**P**er tres habitudines extremitatis notis, in quibus tria loca epicycli subtiliter explorata sunt, id efficiemus, quemadmodum in Luna iuxta modum eccentrici tribus locis eius cognitis operati sumus.

¶ Fuit autem una Ptolemæi consideratio ad Martem in anno 15. Adriani 26. diebus mensis Tobi quinti, scilicet, trāfactis, in nocte hora, uidelicet, una post medium noctis completa. Tunc enim stella uidebatur in 21. partibus Gemini, unde etiam uerus locus centri epicycli ibidem fuerat. ¶ Secunda fuit in anno 19. Adriani, sexto die mensis Phormuth transfacto, ante medietatem noctis tribus horis æqualibus. Et uidebatur stella in 28. grad. & 50. minut. Leonis. ¶ Tertiam considerationē fecit ille Philosophus clarissimus, in anno secundo Antonij, die 12. mensis Athica, undecimi, scilicet, trāfacto ante medietatem noctis duabus horis æqualibus, & apparuit stella Martis in 2. grad. & 33. minut. Sagittarij. Intervallum autem temporis, quod primæ & secundæ considerationibus intercedit, fuit quatuor anni Aegyptij 96. dies, & 20. horæ æquales. Tempus autem inter secundam & tertiam fuit 4. anni Aegyptij 96. dies, & una hora æqualis. In primo autem temporis intervallo motus medijs longitudinis Martis fuit 81. partes, siue grad. & 44. minut. In secundo 95. partes. & 28. min. Motus autē longitudinis uerus intervalli primi erat 67. partes, & 50. min. Intervalli autē secundi 93. partes & 44.

minut. Illis recitatīs principio supponamus id quod etiam in Luna exercui mus, quodcū circa principiū non i p̄misimus, computando motus omnes in superficie eclipticæ, tametsi ipsa mobilia non semper in ecliptica sint, quoniam error circulorum reliquorum super eclipticam inclinatione proueniens, aut nullus accidit, aut modicissimus, ad illud nos inuitat facilitas operationum. ¶ Describantur igitur in superficie eclipticæ tres circuli æquales. Eccentricus quidem delator epicycli ABG super centro D, circulus equās E FH super centro T, & circulus KLM super centro N, quod sit centrum mundi. Hæc tria centra sunt in recta linea SQXC, & sit linea NT diuisa per medium in puncto D, quemadmodum circa principium noni institutum est. In eccentrico autem epicycli delatore sint tria puncta A B G, tria loca centri epicycli in dictis tribus obseruationibus representativa. Quæ quidem puncta cum centro T motus æqualis continuabuntur lineis TAE, TBF & THG. Ut tempus producemus lineas NKA, NLB, & NGM. Erit itaque arcus EF circuli æquantis, quem descripsit centrum epicycli in primo temporis interuallo, FH uero arcus quem descripsit in secundo interuallo, quorum uterque notus uenit propter tempora interuallorum nota. Similiter arcus KL, quem descripsit linea ueri motus epicycli, in primo interuallo notus est, & arcus LM notus, quem peragravit in secundo interuallo. Si igitur arcui EF æquantis, arctis KL subtenderetur, & arcui FH arcus LM responderet, non oporteret posuisse ad fortunam, ut sic loquar, punctū D, medium inter N & D, neque aliter quam superius in Luna iuxta uiam eccentrici primæ diuersitatis operaremur. Sed arcus KL notus subtenditur arcui AB igno-